

tellectus, solus enim intellectus est manifestativus, quia solus est cognoscitivus. Unde non potest voluntas imperare proprie loquendo, hoc est denuntiando, et intimando movere nisi medio actu intellectus. Et sic exercitium, et consummatio imperii, cum modo denuntiativo fiat, in intellectu perficitur, licet supponat voluntatem moventem ad istam denuntiationem efficacia, et impulsu suo, quod pertinet ad motionem in genere causæ efficientis. Et eodem modo lex, quia imperium quoddam est, cum denuntiatione, et intimatione quadam fit exterius, et in quodam dictamine rationis consistit interius, quia lex est regula rationis, et lux quædam eorum, quæ faciendæ sunt, et id quod adæquatur legi, adæquatur et conformatur regulæ rationis, licet efficaciam supponat ex parte voluntatis, quæ effective movet rationem ut obliget. Electio autem licet fiat cum ordinatione rationis, tamen hæc ordinatio habet se regulative ad electionem, non elicitive (ut dictum est) quia non in actu ordinante consummatur, et exercetur electio, sed in actu acceptante, et optante unum præ alio, quantumcumque enim ordinet ratio, si voluntas non acceptat, et præoptat unum relinquendo aliud non est electio, ut experientia constat; acceptio autem et optio fit per inclinationem, et voluntatem.

XXXV. Ad tertiam difficultatem, quoad primam partem respondetur, non pertinere electionem ad prudentiam elicitive, sed regulative, et ordinative. Pertinet autem ad prudentiam ponere medium in virtutibus discernendo, et iudicando, et regulando, atque etiam imperando quid faciendum sit hic et nunc. Virtutes autem morales ponunt medium acceptando, et determinando quod pertinet ad voluntatem, et appetitum. Unde vir-

tutes morales, quæ sunt habitus electivi regulantur a prudentia tam in electione, quam in executione, seu usu. Nam ad prudentiam pertinent tres actus, scilicet iudicare, consiliari, et præcipere, ut docet D. Thomas infra quæstione LVII, et 2-2, quæstione XLIX, et quæstione LI. Et per duos primos actus, scilicet consilium, et iudicium regulatur electio faciendæ ab habitu virtutis moralis. Per præceptum autem, seu imperium regulatur ipsa executio, seu usus (imperio enim correspondet servitium, seu executio) qui difficilior est, quia maxima difficultas agendorum est in executione usque ad ultimum, et ideo iste est præcipuus actus prudentiæ. Non ergo pertinet ad prudentiam elicere electionem, sed dirigere et regulare. Quod etiam patet, quia prudentia est una pro omnibus virtutibus, quia motivum ejus formale in ratione veri est unum, scilicet medium, et regulationem rationis applicare, et determinare in actionibus humanis. Electiones autem sunt diversæ in ratione boni, seu convenientis, et utilis, quia respiciunt media, et hæc sunt diversa in ordine ad finem juxta diversas materias, et modos utilis, et convenientis: sicut aliter fit electio in temperantia, aliter in fortitudine, vel justitia, etc. Non ergo electio est elicitive a prudentia, sed regulative.

XXXVI. Ad secundam partem argumenti dicimus, quod in appetitu sensitivo, resident virtutes, quæ sunt circa passiones, et habent electionem non absolute, et secundum se, sed quatenus participant aliquid a ratione, et voluntate, eique obediunt, et ab illis moventur, ut docet S. Thomas quæstione LVI ad primum, et ita potest in eis esse electio ut docet ibi ad quartum, quia ex bona dispositione appetitus dependet recta intentio, et electio. Quia ergo

non est electio in appetitu, nisi quatenus participat aliquid de voluntate, et ratione, et ab eis movetur, simpliciter electio est in voluntate, quia non est in appetitu nisi ut moto a voluntate, et participante rationem voluntarii, sicut peccatum solum est in voluntate, quia si est in appetitu, est in illo ut participante rationem voluntarii.

ARTICULUS II.

Utrum ex duobus bonis possit voluntas eligere minus bonum, vel æquale?

I. Procedit difficultas, quando voluntas eligit cognoscendo, et advertendo, quod hoc sit minus bonum præ illo, vel æquale, quia si id non cognoscit, vel non advertit, sed ex ignorantia procedit, clarum est quod potest id eligere, quod in se est minus bonum, sed ignoratum. Hoc tamen est per accidens, et non ex arbitrio, et intentione voluntatis, sed ex defectu intellectus, qui putat esse melius id quod in re minus bonum est. Et tunc formaliter, id est, ex vi motivi, et apprehensionis movetur a meliori sic existimato, in re autem et materialiter minus bonum eligit. Difficultas ergo est, an formaliter, id est, advertendo, et cognoscendo minus bonum, possit sub tali minori motivo illud eligere.

II. Ut autem difficultatis punctus manifestetur duo prænotanda sunt. Primum est, quod in electione, aliud est res quæ eligitur, aliud est motivum, seu ratio eligendi, et utrumque per intellectum proponitur, et manifestatur. Stat autem bene quod aliquid ex parte rei electæ non solum in re, sed etiam ut cognitum quasi speculative, et secundum se tantum, sit minus bonum quam

aliud, et tamen ex parte motivi, seu rationis eligendi, qua vestitur hic et nunc practice, melius, aut efficacius appareat ad movendum, et sic ex parte dictaminis practici dicetur melius, id est, hic et nunc convenientius apparens, licet speculative consideratum, et secundum se minus conveniens iudicetur, quia ratione multi faciunt, et eligunt quod ipsimet tunc iudicant speculative iudicio esse disparatum, et pessimum; imo et mortem potest quis eligere, quæ est minus bonum, quam vita, et ut talis iudicatur speculative, et tamen urgente dictamine practico vehementi eligit quis, et exequitur mortem, quia per illam vult evadere miseriam, a cujus fuga magis impellitur, et movetur hic et nunc, quam a conservatione vitæ. Ac denique, propositis duobus æqualibus bonis potest voluntas pro sua libertate inclinare in unum præ alio solum quia vult, et ly quia vult proponitur sibi ut motivum, quod relucet in uno objecto, seu dictamine præ alio, quia vult in hoc experiri libertatem suam.

III. Secundo est advertendum, quod licet in manu voluntatis non sit res ipsas meliorare, vel deteriorare, aut immutare, tamen in manu ejus est diversis rationibus, et motivis eas vestire non immediate, sed mediante intellectu, qui istas considerationes facit, et motiva proponit. Quare eligere magis bonum, vel minus bonum stat dupliciter, vel mediate, vel immediate. Immediate quando ipsum bonum etiam propositum ut minus bonum, et sub motivo minoris boni eligitur a voluntate sine ulla variatione dictaminis, seu iudicii ex sola libertate exequentis sic electionem, non ex libertate objective proposita, id est, non quia velit experiri libertatem, et exinde moveatur, ut a ratione motiva, sed etiam sine tali ratione

motiva, quia in exercitio sic vult exequi libertatem. Mediate vero id potest facere voluntas, quando minus bonum eligitur a voluntate movendo intellectum, ut novas rationes, et motiva inveniatur, eaque voluntati proponatur et sic objectum, quod alias secundum se minus bonum, minusque amabile videbatur, tamen de novo vestitum talibus circumstantiis, et motivis eligatur. Et tunc ex parte motivi non erit minus bonum, sed majus, licet ex parte ipsius rei secundum se sit minus, quod est practice, et motive, seu formaliter semper ferri in melius.

IV. Ex his clarescit punctus difficultatis. Non enim est dubium quod possit voluntas eligere, et velle id quod est minus bonum secundum se ex parte rei objectæ, et quasi speculative id considerando, si majori motivo vestiatur, sic enim formaliter, et practice majus bonum est, id est, convenientius, et tale motivum, facit rem illam magis eminere, et apparere ad hoc ut eligatur. Et secundo non est dubium, quin possit voluntas æquale, et minus bonum eligere relicto meliori saltem mediate, scilicet movendo intellectum ut novo modo consideret, et inquiret nova motiva, et sic vestitum objectum novo, et conventiori motivo voluntas appetat, et eligat, tunc enim prius facit voluntas quod objectum illud reddatur convenientius, et melius saltem apparenter, et sic eligat illud præ alio. Utrumque docet S. Thomas in hac quæstione XIII, artic. VI ad tertium, dum inquit: « Quod nihil prohibet si duo æqualia proponantur secundum unam considerationem, quin circa alterum consideretur aliqua conditio per quam emineat, et magis flectatur voluntas in illud, quam in aliud. » Ubi totam differentiam reducit sanctus doctor ad diversam considerationem, et moti-

vum propositum per intellectum.

V. Difficultas ergo reducitur ad hoc, an propositis duobus bonis non solum speculative, et secundum se æqualibus, sed etiam practice, et ex parte iudicii, et dictaminis æqualis, aut etiam minoris pro una parte, possit voluntas pro sua libertate non mutato iudicio, nec novo motivo proposito, aut nova consultatione ex parte intellectus, solum ex se, et ex suæ libertatis exercitio eligere illud minus bonum sub illo minori motivo, et minori dictamine, seu iudicio.

VI. In hac re sunt duæ sententiæ extremæ, et una media. Prima in uno extremo affirmat posse eligere voluntatem minus bonum etiam si formaliter, et practice, seu motive sit vel proponatur ut minus, vel æquale. Citatur pro hac sententiâ Cajetanus statim adducendus, sed falso. Attribuitur etiam Soto, Victoris, et Medinæ hic artic. V et VI. Sed Medina id absolute non docet, sed solum quod voluntas ex duobus bonis potest sine novo iudicio eligere minus bonum, non tamen sine novo imperio determinante voluntatem, ita quod ope intellectus indigeat ad se determinandum. Tenet tamen hanc sententiâ Suarez in metaph. disput. XIX, sect. VI, num. XIII; Salas hic tract. VI, disput. I, sect. V, quæst. VIII; Montesinos hic disput. XVII, quæst. VI, citantque ex antiquis Richardum, Henricum, Marsilium, et alios.

VII. Secunda sententiâ in alio extremo negat posse voluntatem eligere id quod est minus bonum, aut æquale practice, et ex parte motivi, seu dictaminis, licet secundum se, et speculative possit ferri in minus bonum. Ita tenent multi ex Thomistis, Conradus hic quæst. XIII, art. VI; Ferrariensis III contra gentiles, cap. CLXIII; Soneinas IX metaph. quæst. XV; Martinez hic

art. VI, dub. II; Cajetanus hic artic. VI; Vazquez hic disp. XLIII, cap. II. De D. Thoma statim dicemus.

VIII. Tertia sententiâ media est patris Lorcæ hic disp. XVIII, qui tenet voluntatem posse ex duobus bonis æqualibus eligere id quod voluerit, ex inæqualibus vero non posse eligere id quod minus est bonum. Si autem ab eo quæretur, a quo determinatur voluntas quando ex duobus bonis propositis, uno relicto, alterum eligit, respondet quod ex impetu naturæ erit talis electio, ac per consequens non erit electio simpliciter, sed fortuito, et casualiter, quia electio non fit ex impetu naturæ, sed ex arbitrio, et consilio. Et sic Lorca divertit a difficultate ista, in qua loquimur de vera, et propria electione, quæ simpliciter est talis, non de eo quod fit ex impetu naturæ. Præterquam quod voluntas non est minus libera ad eligendum minus bonum, quam æquale, utrumque enim est bonum, et circa neutrum est voluntas necessitata. Quare ergo ex æqualibus potest eligere quod voluerit, et ex inæqualibus non potest minus bonum accipere, cum circa majus non sit necessitata (ut supponimus) quia potest illud bonum esse creatum, vel Deus non clare visus?

IX. Sit ergo unica conclusio: Simpliciter, et absolute potest voluntas eligere minus bonum, aut æquale; sed ad hoc necessario requiritur, quod concurrat novum motivum, vel iudicium, aut propositio intellectus, ita ut magis emineat aliqua ratio, vel motivum ut moveat ad unum præ alio. Itaque voluntas liberam facultatem habet, propositis duobus bonis, eligere id quod est minus, vel æquale; sed hoc non potest facere, nisi utendo opera intellectus, et movendo illum ut de novo recogitet, et proponat rationes, vel motiva, aut alia occultet, et de-

primat, ut possit voluntas eligere id quod alias minus bonum videbatur, si per electionem, et arbitrium debet procedere, quæ ducitur consilio, et ratione, sive consilium sit rectum et prudens, sive temerarium et imprudens.

X. Sumitur hæc conclusio ex D. Thoma, qui in hac quæstione, artic. VI ad tertium totam rationem eligendi unum præ alio reducit ad diversam considerationem, qua potest aliquid magis eminere, et flectere voluntatem. Non potest autem intelligi quod emineat unum præ alio, nisi sic repræsentetur in intellectu, quia major eminentia, seu convenientia non repræsentata, sed occultata non movet, et perinde se habet respectu voluntatis, ac si non esset, ab incognito enim voluntas moveri non potest: si autem incognitum non potest voluntatem flectere, aut movere; ergo requiritur ad movendum, et flectendum præ alio, quod illud quod sic eminet et vincit voluntatem, etiam sic appareat, et proponatur voluntati ut magis emineat, seu magis convenientius, et sic flectens. Licet ergo objectum non semper sit melius, et convenientius, et hoc ipsum ab intellectu cognoscatur quod scilicet est minus bonum, tamen id quod ultimate movet voluntatem ut tale minus bonum eligat, debet ei proponi per intellectum, saltem hoc quod est eligere illud minus bonum, quia vult, et quia libera est, aut ex alio aliquo motivo extrinseco, quidquid enim illud sit, oportet quod repræsentetur ut moveat, si enim non apparet, et proponitur, nihil ad voluntatem conducit. Favet etiam huic sententiæ Aristoteles in ethicorum, cap. II, ubi dicit: « Quod eligimus, quæ magis scimus esse bona; » et lib. III de anima, cap. XI: « Utrum hoc, an illud agat opus rationis est, majus enim prosequitur: » et Nyssenius

lib. v philosophiæ, cap. iv, et Damascenus lib. ii fidei, cap. xxii, docent quod electio sequitur iudicium, quo unum præfertur alii. Et Augustinus libro de moribus Ecclesiæ, cap. iii: «Oportet, inquit, quod melius est eligere.» Quæ auctoritates licet non penitus convincant, quia exponi possunt de electione prudenter, et rationabiliter facta, non absolute, tamen favent sine dubio magis huic sententiæ, quia auctoritates illæ loquuntur absolute, hæc autem glossa restringit illas ad solam electionem prudentem, quia sic vult glossare.

XI. Fundamentum hujus conclusionis est, quia voluntas circa quodcumque bonum sive minus, sive æquale sit, non potest ferri nisi tracta, et allecta a tali bono; ergo neque potest ferri in unum præ alio, nisi ab illo alliciat, et trahatur præ alio. Sed quæcumque allicientia, et attractio objecti debet fieri media propositione, et iudicio, seu dictamine intellectus, ergo voluntas, ita est libera ut feratur in minus bonum relicto meliori, quod id necessario debet fieri mediante majori attractione, et allicientia unius præ alio, eo quod non potest intelligi quod voluntas feratur, et trahatur, nisi sit tractio, et allicientia objectiva, et hæc oportet quod appareat, et mediante intellectu proponatur, alias est nulla. Quod si apparet, et proponitur objectum ut trahens, et allicitum præ alio, saltem quoad ipsum exercitium, et secundum motivum extrinsecum, hoc ipso in ly præ alio aliquid convenientius, aut melius apparet, et eminent in ipsa propositione, et iudicio intellectus magis quam in alio, et sic semper fertur in melius, aut convenientius practice, et ex parte dictaminis, licet non fit melius absolute, et simpliciter, sed apparenter saltem. Consequentia omnes notæ sunt. Prima

quidem, quia voluntas non potest appetere nisi versetur circa aliquod objectum, ergo nisi detur influentia talis objecti in talem potentiam juxta ejus exigentiam: influentiæ autem objecti appetibilis in voluntatem est allicientia, et attractio, quia movet ut bonum, quod solum metaphorice appetitum movet, scilicet attrahendo, et alliciendo. Unde illatio, et consequentia prima probatur, quia si objectum quodcumque influit, et causat attrahendo, et alliciendo, si hoc objectum trahit præ alio, et voluntas trahitur, seu allicitur ad unum præ alio, oportet quod etiam ex parte objecti sit tractio, et allicientia præ alio objecto: nec enim intelligi potest quod voluntas feratur, et trahatur in objectum præ alio, et objectum active non trahat, et alliciat præ alio, cum hæc sint correlativa. Cum ergo ipse actus appetendi necessario pendeat ex objecto, et ex influentia illius, quia sine objecto non potest intelligi actus, si appetitus est in hoc objectum præ alio, hoc objectum influit, et attrahere debet præ alio.

XII. Nec potest voluntas de suo supplere hanc influentiam objecti, ita quod ipsa feratur in unum præ alio, objecto non magis influente præ alio, quia voluntas de se solum habet tendere in objectum tendentia quadam inclinationis, et impulsus, concursus vero objecti de suo supplere non potest, quia ipsa solum est appetitus non appetibile, nec potest se ipsam amare, aut se pro motivo ponere, nisi se ipsam ponat, et proponat pro objecto per reflexionem. Non ergo supplere potest concursus objecti, ut dicatur ipsa ferri, et trahi in unum præ alio, et quod objectum non trahat, et alliciat aliquo motivo saltem extrinseco præ alio. Reliqua consequentiæ per se patent, quia objectum non trahit, neque allicit voluntatem nisi ut co-

gnitum, et propositum per intellectum; ergo si magis trahit, et præ alio, oportet quod magis emineat, et proponatur secundum cognitionem, alias si hoc non cognoscitur, sed occultatur, non movet, neque allicit. Quod si ita est, hæc major tractio, et allicientia est aliqua convenientia saltem apparens; ergo aliquid majus bonum, seu magis apparens, et eminent ex parte iudicii, et propositionis; ergo practice melius.

XIII. Confirmatur, quia impossibile est, quod quando voluntas eligit minus bonum pro sua libertate, et quia vult in illud tendere, intellectus non cognoscat quid talem voluntatem moveat, et determinet hic et nunc saltem motivo temerario, et imprudenti, sibi tamen pro hic et nunc convenienti, et inclinante illam de facto, quia non potest latere proprium intellectum id quod facit voluntas, nec determinatio illa voluntatis ad hoc objectum præ alio, non potest non dependere ab ipso objecto specificative, et objective determinatur hic et nunc ad eligendum minus bonum, necesse est quod videat ipsam determinationem, et possit reddere rationem quare sic elegit, saltem quia voluit pro sua libertate, ita quod hoc fuit motivum, quia hoc potest reddere pro ratione, et quidquid pro ratione reddi potest, ex parte objecti, seu motivi objectivi se tenet; ergo necesse est, quod dum voluntas minus bonum eligit relicto meliori, illa ratio propter quam eligit, quæcumque illa sit, magis appareat, et emineat ex parte cognitionis, et iudicii, quia magis determinat, et in determinando, atque movendo pro ratione reddi potest ab intellectu id cognoscente; ergo ex parte objecti cogniti se tenet. Quod autem magis determinet constat, quia de facto movet, alio

objecto non movente; ergo magis movet de facto, quam istud.

XIV. Dices: Quod non indiget voluntas majori determinativo ex parte objecti, sed sufficit proponi sibi aliquid bonum in quod feratur si velit, et sic pro sua libertate determinatur in minus bonum, quod proponitur ut minus, non ab objecto, sed a se, etiam si nulla major convenientia appareat, sed solum quia ipsa voluntas vult.

XV. Sed contra, quia in hoc magna latet æquivocatio dicendo, quod non est aliquid majus determinativum ex parte objecti, sed solum quia voluntas vult. Nam verum est, quod objectum ex se non habet majus determinativum ex meritis propriis, cum sit minus bonum (ut supponimus) ideoque indiget extrinseco motivo adjuvari, et hoc est quia voluntas vult. Falsum est autem, quod hoc ipsum, quia voluntas vult, non se teneat ex parte motivi, sed solum ex parte volentis, et agentis. Et in hoc est hallucinatio, quod cum voluntas eligat illud objectum quia vult, et ly quia possit dicere et causam efficientem seu elicientem, et causam objectivam seu allicientem, existimant oppositi auctores, non requiri quod se habeat ut ratio motiva, et alliciens, sed sufficere quod se habeat ut effectiva, et eliciens sine novo motivo. Nos vero dicimus utrumque requiri, et quod se habeat ut causa effectiva generaliratione, qua omne quod voluntarie eligitur, et fit, a voluntate est elicitive: et speciali ratione, qua hic et nunc voluntas sumit pro motivo eligendi suam libertatem, scilicet quia sic vult.

XVI. Et hujus ratio est, quia quando dicimus voluntatem eligere minus bonum, quia vult, si ly quia vult solum explicet causam agentem, seu elicientem, solum assignatur causa generalis, qualis etiam in-